

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput LXXXIV. Continens Historiam Sanati Coeci In Bethsaida, Marc. 8.  
vers. 22.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

cramentaria eo facilius & felicius nox expedire possumus. Contendunt Calviniani: propositionem hanc: ( Fermentum Pharisaeorum est hypocrisis vel falsa doctrina ) esse figuratam. Atque hinc inferunt. Ergo etiam illa propositio ( panis est corpus Christi ) est figurata. Et quidem illam priorem vel per tropum Metaphoræ, vel per tropum Metonymiæ ( ubi copula Est significat ponatur ) esse explicandam. Ergo etiam posteriorem Propositionem vel Metaphorice vel Metonymice esse exponentiam. Hic nos respondemus. In neutra Propositione ullam Metonymiam locum habere: quia nuspiciam ejusmodi Metonymicæ Propositiones inveniuntur, quibus signum de signato enuncietur per copulam Est. Metaphoræ autem tropo locum concedimus in priore Propositione: quia Christus ipse sua correptione monstrat in vobis fermentum tropum esse, qui aliter sit exponentius, quam litera præ se ferat. At vero hinc inferre velle: Ergo in doctrina Sacramenti, Propositio ( panis est corpus meum ) etiam est figurata, hoc vero absurdissimum, & Christi ingenio prorsus contrarium.

est. Nam si vel subjectum Propositionis ( nimirum voculam ) vel ejus prædicatum ( corpus meum ) figurare intelligi voluisse, & Apostolos, quod in literali sensu hærent, errare vidisse, omnino pro more suo eos monuisse, & alicubi commonistrasset, verba sua aliter, quam ut loquant, esse accipienda. Quia vero Christus nullibi *Agno* monstravit, sed non tantum Mathæus, Marcus & Lucas eadem verba in descriptione Cœnæ retinunt, verum etiam Paulus 1. Corinth. 11. vers. 23. iisdem literis ea repetit, & se à Domini illud, cum in gloria esset, accepisse testatur. Meritisimè nobis piacutum est à verborum sensu proprio recedere. Os enim Domini locutum hoc est, quod panis Cœna sit ejus corpus. Panis autem hic verum & nativum panem denotat; corporis quoque vox verum & naturale filii Dei corpus, quod pro nobis traditum est, denotat. Quid ergo opus est tropum fingere, ubi nullus habetur? Nos in simplicitate literæ simpliciter acquiescimus: modum autem, quomodo panis sit corpus Christi, potentia ejus, qui hoc dixit, relinquimus.

## CAPUT LXXXIV.

## CONTINENS HISTORIAM SANATI COECI IN BETHSAIDA, MARC. 8.

vers. 22.

## RATIO ORDINIS.

**N**ordine sequitur miraculum, quod solus Marcus describit, de coeco, cui Christus non confestim in momento, sed sensim & quasi per gradus visum restituit. Quod pulcherrime ad ea, quæ præcesserunt, convenit. Cum enim modo Apostolis suis Dominus dixisset, quod *οὐκεατον αδιεστρατεύεσθαι*, cor haberent, & oculos non cernentes: sive eos ad desiderium spiritualis visionis excitasset: hic jam ad oculum (ut dicitur) ipsis ostendit, spiritualem illum visionis restitutionem, qua ad salutem conductit, non nisi a Deo per Messiam Mediatorem commun-

nicari. Sicuti Moyses Israelitis suis dixit, Deut. 29. vers. 4. Dominus non dedit vobis cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire usque in præsentem diem. Quin & illud communistrat, quod gratia illa visionis non ita detur, ut statim sit absoluta & num eris omnibus perfecta: sed habere illam suos quasi gradus, quibus augetur, crescat & confirmetur, si acceptis initius exercetur & excolatur. Ubi tamen inter ipsa incrementa semper opus sit oratione, manu Christi, & operatione Spiritus sancti. Sicuti pluribus illud postea declarabimus.

## HISTORIA COECI IN BETHSAIDA SENSI SANATI MARC. 8.

22. Καὶ ἐρχεται εἰς βηθσαΐδα, καὶ Φέρονται αὐτῷ τὸ φλόγον, καὶ σφαλάσσονται αὐτὸν, ἵνα μητέ αὐψηται.  
 23. Καὶ πτικασθὲν ὑπὸ τῶν χειρῶν τοῦ φλόγου, ἐξήγειρθεν αὐτὸν ἐξ αὐτῆς καὶ εἶπεν τοῖς πίστοις τοῦ οὐρανοῦ αὐτῷ, καὶ ἤπειρε τοὺς χεῖρας αὐτῷ, ἐπηρώτα αὐτὸν, εἴπερ.  
 24. Καὶ αἰσβελέψας ἔλεγε, Βλέπω τὰς αὐθεάτας, ὅπις δένθρα ὡρῶν ἀβίπτεταις.  
 25. Εἰσεπλιν ἐπεγένετος χειρος Πτίνης οφθαλμὸς αὐτῷ, καὶ ἐποίσεν αὐτῷ αἰσβελέψας, καὶ δοκιμαστηριῶν, καὶ ἐνεβλεψε τηλαυγῆς ἀποτον.  
 26. Καὶ ἀπεστελλεν αὐτὸν εἰς τὸ οἴκον αὐτὸς λέγων, μηδὲ εἰς τὴν κάμηλον ποέλθεις, μηδὲ εἴπῃς δινέστη καὶ μη.
22. Et venit in Bethsaidam, & adducunt illi cæcum, & obsecrant eum, ut illum tangere.  
 23. Et apprehensa manu cæci eduxit illum extra vicum, & cum expulset in oculos illius, imposuitque illi manus, interrogavit eum, si quid videret.  
 24. Et recepto visu dicebat, Video homines, quoniam velut arbores cerno ambulantes.  
 25. Deinde rursum imposuit manus super oculos illius, & fecit ut visum recuperet, & restitutus est, ac denuo debat dilucide omnes.  
 26. Et dimisit illum in domum suam dicens: neq; in vicum ingrediari, neq; dixeris cuiquam in vico.

Periocha

## Periocha hujus Historia.

Christus perfecta navigatione, qua à Pharisæis & Sadducais discesserat, venit Berthaidam. Fuit haec civitas Galilææ, & una ex civitatibus ad Decapitanam regionem pertinentibus, sita in occidentali ripa maris Galilææ, in angulo, ubi se mare ab Aquiloni ad Austrum flectit. Ex civitate hac oriundus fuit Philippus, ut Johann. 1. vers. 44. & 12. vers. 31. diserte indicatur. Vocatur etiam civitas Andreæ & Petri, Johann. 1. v. 44. vel quia & ipsi inde orti fuerunt, vel, ut quidam opinantur, quia sua ibi domicilia habuerunt. Quanquam Petri domum in Capernaum fuisse ex 37. & 38. hujus Harm. Capp. pateat. Quia ergo Berthaida fuit urbs clara, existimant aliqui, Christum civitatem non fuisse ingressum, eo quod jam antea, Matth. 11. vers. 2. ipsi cum Corazim Væ denunciaverit, sed vel in suburbio substiffe, vel ad ejus villas deflexisse. Siquidem in hachistoria bis ponitur vocula καρπη, quæ vicum potius quam civitatem significat, & 1. Sam. 6. versic. 18. opponitur civitati murata: item 2. Parap. 13. vers. 19. ponuntur μάλαι civitates & καρπη villa seu filiae ipsarum. Cumque Berthaida quoque villas multas habuerit, in talem aliquam Christum venisse verisimile est. Cum ergo Christus civitatem, cui Væ denunciavit, hic vitaret, carentibz urbes populosæ, ne illum offendat, irriterat, aut à se repellant. Alias periculum est, ipsum in posterum eas vitaturum. Neque enim Sol retrogradus est. Si tamen in viciniam redeat, & civitatum vicos gratia suæ radiis rursus collustret, obvii manibus excipiendus, & ut nobiscum maneat rogandus est. Vienna Austriae Christus cum Evangelio suo ante triginta propemodum annos est expullus. Haec tenus in ejus vicis hæsit, suamque gratiam ipsis obtulit. Sed nunc etiam inde pelli dicitur. Quid ergo felicitatis ibi sperandum?

In illo vico adducunt Jesu cœcum. Non fuit hic cœcus civis vel incola urbis Berthaidæ. Huic enim jam Christus suam gratiam subtraxerat. Sed vel aliounde adductus est: quia eum postea domum suam remittit: & prohibet ne vicum ingrediatur: vel mendicavit in Berthaida. Hunc autem cœcum ante execrationem vidisse inde appetet: quia postea homines agnoscit, & arbores nominat. Illi autem, qui cœcum hunc adduxerunt, petierunt ut illum tangeret. Haec tenus enim viderunt, Christum manuum suam impositione quosvis defectus curasse. Est ergo fidei indicium, & laudem meretur, quod Christo hanc potentiam attribuunt, quod attacutu cœcos sanare possit: infirmitatis autem est, quod modum quasi ipsi præscribunt, quem liberrima ipsius voluntati reliquise debuissent. Præbent hi omnibus Christianis exemplum, quod imitari debent, ut nimur eos, qui spirituali cœcitate laborant, & errorum vel improbitatis tenebris sunt irretiti, ad Christum adducant, & hunc pro illuminatione eorum deprecentur. Est hoc insigne caritatis Christianæ opus: quo gloria Dei illustratur, regnum Christi amplificatur, & hominum salus promovetur. Huic bono operi potissimum studere debent illi, qui in Ecclesia, po-

litia & œconomia aliis sunt præfeci: sed non tantum verum in genere omnes, quibus Christi honor cordi est. Singuli enim studere debent, ut & admonitionibus & honesto vita exemplo proximum Christo lucifaciant. Væ autem illis, qui vel falsa doctrina videntes excœcant, vel scurrilibus dictis & pravis exemplis innocuos offendunt. Hoc est offendiculum ponere cœco: Levit. 19. v. 14. de quo Deut. 27. v. 18. Maledictus qui errare facit cœcum in itinere, & dicet omnis populus, Amen.

Sicuti autem Cap. 81. Harm. de surdo audivimus, quod Christus peculiares quasdam ceremonias in eo sanando usurparit: ita Evangelista idem de hoc cœco testatur, quem Jesus non subito, sed sensim & quasi cum apparatu quodam sanat. Ethic inquiruntur causæ, quare Christus tot ceremonias adhibuerit, ut quasi difficilis sanasse videatur leviores morbos & defectus quam gravissima mala. Nequaquam autem hoc impotentia, sed liberæ voluntatis fuisse sciamus. Qui enim unico verbo mortuos suscitavit, quomodo non etiam unico verbo cœco visum restituere potuisset? Quia vero voluntatis hoc est, non impium fuerit in hanc ipsius voluntatem inquirere. Sentit ergo Chrysostomus, causam hujus dilationis in ope ferenda fuisse imperfectionem fidei in cœco. Nec nihil est, quod is dicit. Nam de aliis cœcis legitimus, quod ipsi Dominum rogarint, ut ipso saneret: hic vero non legitur ipse pro se orasse, sed alii Dominum rogarunt pro ipso. Ideo Christus imperfecte credenti, imperfectum etiam visum tribuit: ut ita accesso in ipsius animo desiderio, & per desiderium atque orationem firmiore fide, ipse etiam perfectorem visum tribueret. Sit ergo hæc una causa. Altera vero & quidem præcipua hæc est, quod Dominus ostendere voluit, sibi non esse præscribendum modum gratiaræ & auxiliis: siquidem ipse non sit alligatus ad unum modum juvandi, sed libere possit juvare, quocunque modo velit. Usus hujus commonefactionis est amplissimus. Omnes enim experimur, magnas interdum in animis nostris oboriri tragedias ob exempla de modo: quod sic cogitamus, Deus hunc & illum hoc vel illo modo juvit; & inde concludimus: Ergo necesse est, ut eodem modo & nos juvet. Id si non fiat, protinus animum abjicimus. Sed monet hoc exemplum, ne propterea desperemus, si maxime Deus nos non juvet illo modo, quo alios: quin ipsi committamus modum, nec quicquam præscribamus: siquidem ipse plures, immo infinitos nos juvandi modos habet. Hæc præcipua causa est.

Alias plures causas circumstantia textus nobis suppeditabunt. Nam Christus hunc cœcum sanaturus 1. apprehensa manu cœci eduxit illum extra vicum. Cum enim cives urbis Berthaidæ, ob incurabilem contumaciam & incredulitatem, jam ab ipso quasi excommunicati essent, Matth. 11. v. 2. i. indigos illos censuit, qui plura sua signaverint. Sic Matth. 7. vers. 6. suis ministris præcepit, ne sanctum darent canibus, ne margaritas suas mitterent ante porcos. 2. Exspuit in ejus oculos. Sputum inter excrementa hominis reputatur: quæ in aliis quidem hominibus non tantum ad

Harm. Tom. I.

Hhhh 4

ad nihil conducunt, verum etiam nauseam cident, ac proinde solcite absconduntur. At in Christo nihil non est vivificum. Ideo D. Hieronymus dicit, sputum seu spumam Christi esse divinam ipsius sapientiam: quæ quia per flatum Christi, cui conjunctus est Spiritus vivificus, in hujus oculos ejicitur, non mirum, eos mox restitutos esse. Nam *3. imponit ei manus, & interrogat num quid videret?* Manus imponit, ut ostendat carnem suam esse instrumentum, per quod & cum quo ipse ὁ Λόγος æternus omnia opera vivificationis perficiat. Hac vero manuum impositione Dominus tantum efficit, ut hic cœcus palpebras moveat, & res objectas aliquo modo cernere, sed non vere discernere potuerit. Dicit enim, *le homines velut arbores ambulantes videre.* Videt nimurum aliquid moveri, & illud esse solidum atq; erectum, sed formam non potest assequi. Sicut qui eminus aliquid aspicit, confuse agnoscit esse solidum quid: sed proprius accedens distinet & noscit. Et sic follet Deus interdum nobis potentibus bona sua dare, non illico omnia, sed pedetentim aliqua: ut sic desiderium, quod alioquin in nobis languet, plus accendant. Hic enim cœcus, nisi prorsus stipes fuerit, postquam aliqualem visum a Christo recepit, & Christi virtutem in oculorum sensu animadvertisit, absq; dubio & voto cordis, & spiritis pectoris, & voce oris petiit, ut Dominus bonum, quod ceperisset, etiam perficeret. Nam propterea etiam Dominus interrogatio videtur, *si quid videret?* ut ea interrogatione innueret, se nondum hoc fine oculos ipsius tetigisse, ut omnia perfecte videret, sed tantum ut *aliquid* videret. Ideoque excitato desiderio & fide accensa rursum imponit manus, & efficit, ut visum integre recipiat. Utitur autem Marcus duobus emphaticis vocabulis, quibus visus restitutionem in cœco exprimit. Nam primo dicit, *καὶ ἀποτάσσεται, & restituuntur eis.* Denotat autem hoc verbum ejusmodi restitutionem, quæ priori integritate non sit inferior. Sic enim usurpatur Exod. 4. vers. 7. de manu Moysis, quæ prius lepra infecta, sed in sinum reducta mox pristinum colorem reliqua carnis recuperavit. Genes 29. v. 3. de lapide, qui super os putei reductus est. Gen. 40. v. 21. de pincerna, qui in pristinum suum officium restitutus est. Jer. 15. v. 19. & 50. v. 19. loquitur Deus de pœnitentibus, ipsiq; hoc vocabulo promittit, quod in priorem locum eos reducere, & coram se stare facere velit. In his locis omnibus responderet Heb. 13. *νωραί,* quod usurpatur de motu ad locum, qui sit in redditu. Hinc etiam Acto. 3. v. 21. dies novissimus dicitur dies *ἀπναστασίας,* restitutionis omnium. Tum enim restituetur nova facies mundi. Erunt tunc cœli novi & nova terra, Ies. 65. vers. 17. in quibus justitia inhabitabit. Pet. 3. vers. 13. Apoc. 21. vers. 1. Restituentur eodem die corpora, qualicunque modo fuerunt corrupta, Apoc. 20. vers. 13. Omnes gibbi dedolabuntur, omnes nervi extenderuntur, omnes lusci, surdi & loriopedes in integrum restituentur. Restituetur leta & felix mundi conditio, mundi machina, quæ nunc sub corruptionis pondere ingemiscit, liberabitur. Rom. 8. v. 21. & in eam integratem restituetur, in qua fuerat, antequam ob hominis peccatum maledictione ferieret. Et ubi Christus omnem principatum abo-

lererit, & patri regnum tradiderit, ut Deus sit omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. 28. tunc talis erit restitutio omnium, quam modo nec verbis explicare, nec ratione humana complecti possumus. Jucundum itaque est, in enphasi hujus vocule considerare, qualiter Christus Servator noster sit Restitutor omnium, cum in hac, tum in altera vita. In hac vita eo modo est restitutor, quo Job. 5. v. 18. dicit: Dominus ἀποκαθιστᾷ, medetur & more boni chirurgi ceu vulnus alligat. In altera autem vita eo modo, quomodo Psal. 10. v. 5. dicitur: Dominus ἀποκαθιστᾷ restituens mihi hereditatem meam. In cœlis enim nobis restituetur ea hæreditas, vel etiam præstantior, quam Adamus pecando amisit. Futuri enim sumus heredes Dei, coheredes autem Christi. Rom. 8. vers. 17. Alterum vocabulum est, quod Evangelista dicit, cœcum post restitutionem videlicet *μηλανός* diluvio omnes. Componitur autem hoc vocabulum à τῷ, quod significat *μαργαρίτης πέρρη* procul & longe, & ab ἀντι, quod lucem ac splendorem denotat. Innuere ergo Marcus voluit, ipsum longe latente omnia clarissime perspicere potuisse. Quos enim Christus in integrum restituit, eos plene & perfecte restituit.

Postremo Christus hunc hominem, postquam visum ei restituit, domum remittit, & diserte ipsi dicit, *nec in vicum ingrediari, nec in vico cuquam dixerit.* Quod hoc in loco Christus non tantum fecit humilitatis causa, & ad vitandam humanam laudem: cuius modestia etiam veri Christi ministri studiosi esse debent, ne ex suis bonis privatam suam laudem, sed Dei gloriam querant. Sed potissimum propterea fecit, quia cives in Bethsda Christi miraculis non utebantur ad sui conversionem. Horrendum hoc est & grave Dei iudicium, quando Deus aliquos nec verbi sui nec operum suorum cognitione amplius dignatur. Cum enim salus hominum & æterna eorum vita ex illis duabus mediis dependeat. Joan. 17. v. 3. certissimum est, ejusmodi homines ob præcedentia sua peccata, inter quæ contentus verbi primas tenet, iusto Dei iudicio, jam æternæ damnationi vincipatos esse. A contentu igitur verbi Dei, tanquam a peccato omnium maximo, solcite nobis caveamus.

Præ se fert autem hic cœcus, ut diximus, typum humani generis, & ostendit, quomodo illud natura spirituali cœcitate laboreat, & qua ratione illi, qui Christo adducuntur, ab ea liberentur, ipsiusque beneficio in integrum restituantur. 1. Ut hic cœcus initio vidit, postea autem ex accidente visu suo privatus & cœcus factus est: ita Deus hominem initio corpore & animo videntem & perspicacem creavit, ita ut non tantum Deum Creatorem suum, sed & omnia ipsius opera plene atque perfecte cognoverit, siveque viam ad æternam suam salutem examussem perspexerit. Hujus acuminis & perspicacia specimen edidit Adamus Genes. 2. v. 19. cum Deus omnia animantia terra & volatilia cœli ad ipsum adduceret, ut ea videret, & singulis sua nomina ita poneret: quod etiam tanto iudicio secundum singularum naturarum proprietates fecit, ut eo ipso, se plena & perfecta omnium cognitione, quantum quidem ipsi ad salutem necessarium fuit, prædictum fuisse, abunde fatis restitutum fecerit. Postquam autem Adamus ex insti-

existimatu antiqui serpentis oculos tam corporis, quam mentis suæ averrit ab obedientia verbi divini, justo DEI judicio factum est, ut homo aciem visionis suæ amiserit, & jam, nos ipsius postfati natura habeamus intellectum tenebris obscuratum, ut si quis propter cœcitatem cordis nostri ab alienatia vita Dei per ignorantiam, quæ in nobis est, Ephes. 4.v.18. Exemplum hujus spiritualis cœcitatatis modo habuimus in Apostolis, quibus Christus obicit cordis cœcitatem, eo quod ex binis miraculis non hoc didicissent, quod Christus, etiam si parum commenatus ad manum haberet, tamen pro divina sua omnipotencia suos alere possit. Sapiens eandem cœcitatem & cordis tarditatem etiam alias in ipsis deprehendimus; ut quando Christum, de passione & resurrectione sua, vel sexta vice, concionantem audierunt quidem, sed nihil eorum intellexerunt, & verbum absconditum fuit ab ipsis, Luc. 18.v.34. aut, quando eundem post ultimam Cœnam de suo post modicum abitu verba facientem audierunt: Modicum vero illud nullo modo intelligere potuerunt. Joan. 16.v.17. Hæc naturalis cœcitas tanta est, ut sapè etiam in politicis & œconomicis non assequamur ea, quæ cum emolumento nostro sunt conjuncta. Sic Achab & Josaphat 1. Reg. 22. v.29. non necessarium bellum, etiam contra præmonitionem Prophetæ Micheæl, ex mera cœcitate cordis sui, fulceperunt adversus Syros. Eodem modo Josias rex alioquin pius & sanctus, ex cœcitate cordis sui perrexit 2. Par. 33. v. 22. in Mageddo, ut dimicaret contra Necho regem Ægypti, in quo bello eriam perii. Quemadmodum enim Deus 2. Reg. 6. v. 18. exercitum regis Syriae percussit cœcitatem, ut ipsi met non animadverterent se venire in medium Samariæ, inter medios suos hostes: ita ex naturali mentis nostra impotentia feremus non assequimur, quod in medio interitus verum, donec nobiscum actum est. Magna itaque & deploranda est cœcitas eorum, qui sive Philosophi, sive Pelagiani, sive Pontificii, sive Cinglani dicantur, lumini naturæ tantas vires tantasque facultates adscribunt, quasi ejus beneficio homo viam salutis ingredi, sique sempiternam felicitatem consequi posset. Scholastici certe sub Papatu pluribus contendunt, hominem ex puris suis naturalibus sese ad Deum convertere, ipsumque super omnia diligere posse. Cingilius vero in postrema sua confessione statuit, probos, doctos & sapientes gentiles, quales fuerint Aristoteles, Plato, Socrates, Aristides, Numa Pomplius & consimiles, ex lumine naturæ cœli incolas factos fuisse. Hi omnes naturalem hanc humani generis cœcitatem non agnoverunt, eoque graviter peccaverunt. Nos cum tota sancta Ecclesia ad Deum canimus: Sime tuo nomine nihil est in homine, nihil est innoxium.

2. Quemadmodum hic cœcus, ut visum, recipere, Christo adductus est, ita quicunque post tristem illum peccati lapsum spirituali visione rursus donari cupit, ad Christum se conferat. Hic enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joan. 1. v.9. Unde Simeon de eo pronunciat, Luc. 2.v.32. quod sit paratum lumen ad revelationem gentium. Ipse etiam Christus dicit Joan. 8.v.12. Ego sum lux

mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Christus autem illuminandos primum dicit seorsim & extra vicum. Nam à pristinis vitiis recedere, nec amplius in multitudine harere, ut ejus exempla sequatur, oportet eum, qui Christo le aggregare velit, sed hunc unum, & ejus fideles doctores duces sequi debet, si ad salutem pervenire cupiat. Secundo, exsuffit in oculos, & imponit manus, hoc est, utitur certis suis organis & mediis. Verum & proprium medium est verbum Dei. Hoc est quasi sputum Christi, & collyrium illud Apoc. 2. v.18. quo oculi nostri inuncti vim videndi recipiunt. Nam qui doctrinam & institutionem verbi divini admittunt, illi in cœlestibus rursus notitiam aliquam consequuntur. Verbum enim Dei est lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris Psal. 119. v.105. Huic si attendamus, dirigentur pedes nostri in viam pacis, Luc. 1.v.29. Hoc vero sputum nescie est, ut flatu seu Spíritu Christi in oculos nostros ejiciatur. Si enim hancunctionem accepimus à Christo, tum illa docebit nos de omnibus. 1. Johan. 2.v.27. Hoc modo Dominus Act. 16. v.14. Philipis Lydiæ purpuraria cor aperuit, per concionem Pauli, ut fidelis facta fuerit. Caveamus ergo, ne apud quenquam alium spiritualis hujus visus restitutionem queramus, quam apud hunc animarum nostrarum Medicum, JESUM Christum. Tertiò, quemadmodum Christus huic cœco non momento uno facultatem videnti perfekte & plene restituit, sed pedentim & quasi per gradus id effecit, atque sic in ipso desiderium perfectionis excitavit. Sic quoque nobis spirituale illam videndi vim non uno momento præbet, sed per gradus nos ad perfectionem deducit. Quod ipsum in Apostolis videmus, in quibus illuminandis Christus laboravit in quartum, usque annum, sed quam parum in ipsis proficerit, ipsis varia sua ignorantia in ultima cœna prodiderunt. Eatenus ergo ipsis tantum manum imposuit, ut aliquid viderent. Sed post gloriosam suam resurrectionem, quasi secunda vice manum imposuit, quando Luca teste cap. 24.v.45. sensum ipsis aperuit, ut intelligerent Scripturas. Imprimis autem visum eorum acuit, postquam in festo Pentecostes ipsis sancto suo Spíritu replevit, totius orbis Doctores constituit, & effecit, ut variis linguis magnalia Dei eloquerentur. Act. 2. 11. Eodem modo etiam in nobis cognitionem rerum spiritualium sensim promovet, non uno momento nos perfectos reddit, sed dona sua in nobis de die in diem auget & locupletat. Quisque ergo in se initia spiritualis illius illuminationis observet, & Spíritum sanctum in se operantem reverenter habeat, Deumque cum Paulo roget, ut implatur agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia & intellectu spirituali. Col. 1.v.9. Omni enim habenti (& dona Dei agnoscendi) dabitur & abundabit: ei autem qui non habet (qui non agnoscit dona, qua Deus in ipsum contulit, nec cum desiderio eorum incrementum à Deo postulat) etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Matt. 25. v.29. Sed proh dolor, multi inveniuntur, in quibus DEUS naturalem illam cœcitatem mentis, lumine verbi sui corrigerem vult, sed ex diabolica malitia tenebras plus diligunt, quam lucem: quia opera

opera ipsorum sunt mala. Joan. 3. v. 19. In his Deus hujus seculi excoecavit mentes infidelium, ut non fulgeat ipsis illuminatio Evangelii gloriae Christi. 2. Cor. 4. vers. 4. Illi, si postea corpore animaque pereant, quid mirum? cum salus ipsa tales homines, qui scientes volentes in exitum ruunt, salvare non possit. Exemplum talium præfæcte cœcorum habemus in Judæis, quibus splendissima lux concionum & miraculorum Christi affulxit, una cum plurimis Circumstantiis & signis à Prophetis prædictis, ex quibus, si non videre voluissent, certe manibus palpare potuissent, Jesum esse illum antiquitus promissum humani generis Messiam. Sed obstinate quasi oculos clauerunt, ut ne ex cœcitate sua liberarentur. Unde merito Christus ipsis dixit, Joan. 9. v. 41. Si cœci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Quia vides, peccatum vestrum manet. His non absimiles sunt nostra ætate Pontifici, & inter hos cum primis Jesuitæ, qui in clarissima luce Evangelii adhuc coecutiunt, & palpabiles errores, quos superiorum seculorum tenebrae invexerunt, mordicus tueri & retinere conantur: quales sunt idolatria invocatio Sanctorum, sacrificium Missæ, communio sub una specie, peregrinationes ad Divos, indulgentia Papales, prohibitio ciborum & conjugii, purgatorius ignis, & consimilia multa, de quibus puer septennis ex verbo Dei informari potest, quod sunt commenta hominum otiorum. Pro his tamen Jesuitæ non aliter quam pro aris & focis dimicant. Unde vero? Non aliunde, nisi quia cœci sunt oculis, auribus, mente. Si cum illo cœco Luc. 18. v. 41. orarent: Da, Domine, ut videam: utique per ipsius gratiam illuminarentur. Nunc quoniam cum Pharisæis Joan. 9. v. 40. dicunt: Nunquid & nos cœci sumus? Vel potius cum angelo Laodicensis Ecclesiæ, Apoc. 3. v. 17.

quia dives sum & locupletatus, & nullius ego: & nesciunt, quia sunt miseri, pauperes, cœci & nudi: ideo ipsorum peccatum manet. Imo justo Dei iudicio magis magisque excoecantur. Jes. 6. v. 10. Et iuxta Paulum 2. Thes. 2. v. 10. eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Quarto plena autem restitutio spiritualis iherus visionis demum futura est in novissimo die, qui propterea Act. 3. v. 21. dicitur dies *transuans*, *transi*, *restitutionis omnium*. Quia tum nulla caligo amplius nostros molestat oculos. Nunc videmus per speculum in ænigmate: tunc autem videbimus à facie ad faciem. Nunc cognoscimus ex parte: tunc autem cognoscemus, sicut & cogniti sumus. 1. Cor. 13. v. 12. Tunc in carne nostra videbimus Deum, & in Deo possessi sumus omnia. Videbimus Redemptorem nostrum, qui est ancora, prora & puppis salutis nostræ: cum visuri sumus nos ipsi, & oculi nostri eum confecti sunt, Job. 19. v. 26. Tunc simul cum illis, qui ex mortuis resurrexerunt, in rubibus obviam rapiemur Christo in aere, & sic semper cum Domino erimus, 1. Thef. 4. v. 17. Interim qui jam illuminatus est, *non debet redire in vicum*, hoc est, ad pristinos suos sodales: alias hi ipsum aut irridebunt, aut ad priores cœcitatatis tenebras ipsum rursus præcipitabunt. Sed abeat in domum *suam*: hoc est, ingrediatur penetrale cordis sui, & diligenter ipse secum expendat, qualis antea fuerit per naturam, qualis nunc sit per Dei gratiam: & quoniam sit relapsurus, nisi per Dei gratiam conservetur. Sic semper apud seipsum habiturus est ansam, & gratias Deo agendi pro bonis præstitis, & eundem precandi pro donis ulterius præstandis.

## CAPUT LXXXV.

### CONTINENS HISTORIAM EXITUS CHRISTI AD CÆSAREAM PHILIPPI ET CONFESSIONEM PETRI NOMINE APOSTOLORUM. MATTH. 16. V. 13. MARC. 8. V. 27. & LUC. 9. V. 15.

#### RATIO ORDINIS.

**L**ævangelista Matthæus, mox post disputationem cum Pharisæis & Sadducaeis habitam, deducit Jesum per fretum ad Cæsaream Philippi. Nec dissentit Marcus, præterquam quod interserit historiam de cœco sanato in Bethsaida, quod miraculum in itinere factum est. Ideo merito Lucas ad horum discriptionem accommodandus. Jesus enim Pharisæorum ineptis disputationibus serio offensus, cum in ulteriore ripam venisset, rursus egreditus est ad fines gentium. Et cum per vi-

cos, qui ad urbem Cæsaream pertinebant, solis Apostolis comitatus iter faceret, alicubi orandi gratia substituit. Cumque rursus pergeret, accidit memorabile illud colloquium, quod cum Apostolis instituit, de variis hominum opinionibus, de persona & officio Christi, & de Apostolorum confessione, quam Christus ponit fundamentum ministerii atque Ecclesiæ. Multa autem capita complectitur hæc historia, qua quia singula digna, sunt accurata observatione, diligentius etiam tractabimus.

HISTO-